

præmissis inferre conamur majus de minore, ex veris præmissis non rarò concludetur falsum. In his verò modis, quando minus extremum concluditur de majore, id fit immediate, non mediante aliquâ conclusione, quæ directè sequatur, tum quia nullam directè inferre valeat, tum etiam, quia si inferrent, ea nulla esset alia, quam particularis negans, quæ cum converti nequeat, non posset eâ interveniente colligi minus de majore. Res autem longè aliter sese habet in *Baralip*, *Celantes*, *Dabitis*, in quibus præmissæ naturâ sua aptæ sunt inferre conclusionem majoris de minore, quâ ratione Syllogismi eorum dicuntur esse in *Barbara*, *Celarent*, *Darii*. Conversis autem conclusionibus dicuntur esse in his modis. Relinquitur ergò, quod *Baralip*, *Celantes*, & *Dabitis*, non sint modi indirecti. Quò facit, quod Stagirita *lib. 1. prior. c. 7. §. 2.* scribit: *si altera propositionum est affirmans, altera negans universalis, semper fieri Syllogismum, in quo concludatur minus extremum de majore.* Ubi Aristoteles insinuat modos illos indirectos, *Fapesmo* & *Frisismo*. Ex quibus simul apparet, quod Aristoteles non ignoraverit quartam Figuram, quia facilè eas propositiones invertere potuerit, ex quibus translocatis immediate habuisset quartam figuram: Constat enim, ipsum sæpè sæpies talem propositionum ordinem, quem secundùm tres Figuras præscripsit, pro arbitrio suo immutasse, secutum in hoc morem omnibus omninò hominibus crebrò satis receptum ac familiarem. Confer, quæ *Zabarella tract. de 4. fig. syl. c. 10.* habet.

§. XXVII. Cùm autem locum antea ex Aristotele citatum multi urgeant pro Syllogismis indirectis in secundâ quoque & tertiâ figurâ adstruendis, lubet illustrandi loci illius ergò, *ὡς ἐν παράδειγματι* & tanquam aliud quid agentes, movere quæstionem illam: *an etiam Syllogismi indirecti den-*  
*tur*